

ist. acad.  
578

2005 303

199



Gid

LEGES  
ACADEMIÆ VVITE:  
BERGENSIS DÉ STU-  
DIIS ET MORIBVS  
AUDITORVM.

Stein/

Artikel etlicher not-  
wendiger Ordnung vnd Sabzung / zu  
erhaltung guter policey / ruhe / friede vnd einigkeit /  
im Schul vnd Stadregiment / Auch guter zucht vnd  
erbarkeit in Hochzeiten / Kleidung / vnd  
messigung der vnkosten.

Newlich aus bestetigung vnd befehl  
des Durchleuchtigsten Hochgeborenen Fürsten  
vnd Herrn / Herrn Augusti Churfürsten zu Sachsen  
etc. Von der Uniuersitet Wittemberg  
vnd einem erbarn Rat  
publicirt.



Wittemberg/

Gedruckt durch Hans Lufft.

Anno 1573.

Gest. Acad. 199. <sup>C</sup>

2 E Q E 2  
HISTORIA ANGLORUM  
A PLEASANT HISTORY  
OF THE MORTALS  
IN ENGLAND

STORY OF THE ENGLISH  
BY JAMES GUNNELL  
WITH A HISTORY OF THE  
ENGLISH LANGUAGE

LAND OF ENGLAND  
WITH A HISTORY OF THE  
ENGLISH LANGUAGE

THE HISTORY  
OF THE ENGLISH  
LANGUAGE

ACADEMIÆ VVITE-  
BERGENSIS LEGES DE  
STVDIIS ET MORIBVS AVDI-  
-torum, quæ bis quotannis recitantur.

PRIMA LEX.



ESTIMONIA de Deo multa & illustria vniuersæ naturæ rerum impressa sunt, quæ optimus Conditor vult aspici, ut agnoscamus eum, Addidit autem & singulares patefactio[n]es confirmatas manifestis miraculis, & legem & promissiones suas edidit, & misit Filium, qui verè colligit æternam Ecclesiam, cui Deus in omni æternitate communicare vult suam sapientiam, iusticiam & Ix[us]ticiam, Colligit autem Ecclesiam voce Euangelij, & non aliter.

Cumq[ue] literis mandari suas patefactio[n]es, legem & Euangelium voluerit, ac seuerissimè præcipiat, vt hæc scripta legant homines & cognoscant, & sic de ipso sentiant, sic eum inuocent, sicut ibi se patefecit, & vitam iuxta hanc normam regant, semper adiunxit Ecclesiæ cœtus docentium & dissentientium literas. Et sicut ministerium Euangelij in templis diuinitus conseruat, ita tales aliqui cœtus docentium & dissentientium literas diuinitus conseruantur, quos quidem vult esse partem ministerij Euangelici, & legere libros Propheticos & Apostolicos, & retinere natiuam sententiam, nosse Symbola, & certamina ac iudicia Ecclesiæ om-

A ij nium

## LEGES ACADEMIÆ

nium temporum. Præcipit igitur Paulus: Esto assiduus ac intentus in lectione, consolatione, & doctrina.

Quare sciamus non tantum consilio humano instituta esse hæc studia discendi, sed diuinitus & præcepta & instituta sunt, & diuinitus conseruantur.

Ac ad hos nostros cœtus etiam dictum filij Dei pertinet: Vbicunq; duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et præcipit Deus à se peti sapientiam, & studiorum gubernationem, sicut inquit Dominus: Quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum potentibus:

Hæc omnia initio accendentibus ad Academias cogitanda sunt, vt sciant placere Deo hunc laborem discendi literas, & iuuari ab eo. Nam in omni delibera<sup>re</sup> tione prima sit hæc cura, querere, quæ actiones Deo placeant, nec suscipienda est ulla actio, nisi comprobata diuinis testimonij*s*, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Quicunq; igitur in hanc Academiam venerit, primum cogitet, hanc discendi militiam Deo placere, & ad hunc finem studia referat, vt Deum celebret, & Ecclesiæ ac vitæ communi piè in conseruatione & propagatione doctrinæ seruiat, Deinde & auxilium ac gubernationem à Deo fonte sapientiæ petat. Nam in tanta humanæ mentis imbecillitate, vt iudicia recta sint, & studia & consilia fœlicia, opus est Deo gubernatore. Sic igitur piæ mentes studia inchoent, vt ardentibus votis hanc precationem adsidue repetant: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

SECVN-

## VVITEBERGENSIS.

### SECVNDA LEX.

**D**einde quisquis in hac Academia commorari aliquantisper decreuit, accedat ad Rectorem Academiæ, & nomen suum inter nomina aliorum auditorum nostrorum referri petat, & promittat se legibus nostris obtemperaturum esse, quia nec honestum est, nec tutum Reipublicæ, vlos homines vagari in ciuitatibus sine certis magistratibus.

Rector autem in editione nominis, si talis est ætas adolescentis, ut sit ei opus familiari præceptore, iubebit eum commendari alicui ex ijs, qui priuatim docent, qui & mores eius paterno more gubernet, & in docendo prudenter & fideliter initia artium & doctrinæ Christianæ ita tradat, ut ætas illius aut ingenium postulabit.

### TERTIA LEX.

**A**liqui seu ignauí, seu feri & contemnentes doctrinam, etiam postquam ediderunt nomina apud Rectorem, tamen vagantur sine studio literarum, nec audiunt vllas prælectiones priuatas aut publicas, nec discunt vllam honestam artem. Tales si deprehensi fuerint, indicandi sunt Magistratui oppidi, ut sciat eos hospites esse alienos ab ordine Scholastico, nec fruentur priuilegijs Academiæ, aut si infirmitas ætatis, aut contumacia alia consilia postulabit, ex Academia & oppido discedere cogentur.

### QVARTA.

**E**t priuatim & publicè prima ætas diligenter discat grammatiken latinam, dialecticen, elementa Rhetorices,

A ij

torices,

## LEGES ACADEMIÆ

torices, & summam doctrinæ Christianæ. Publicè vero omnes, qui versantur in studijs philosophicis, audi- ant has prælectiones, in quibus traduntur Elementa doctrinæ de circulis cœlestibus, collecta à Iohanne de sacro Busto, seu à Peucero, Arithmeticæ, Physica, Liber de anima, Secundus liber Plinij, & Aristotelis Ethica. Illi vero, qui Magisterij Philosophici gradum petituri sunt, aut amore doctrinæ cognoscere fontes artium cupiunt, adiungant ad prælectiones, quarum iam mentio facta est, Eucliden, Theoricas motuum cœle- stium à Proclo editas, & alteras Purbachij, & magnam constructionem Ptolemæi. Deus immensa bonitate hos radios sapientiæ suæ hominibus tradidit, vt sint testimonia de ipso, & ut verè inquit Plato: Grata de Deo fama sonat in artibus. Ipsum igitur Deum fon- tem sapientiæ oramus, vt propter Ecclesiam faciat, vt semper lux harum artium, quas ipse monstrauit, in his regionibus luceat. Et nos à Deo commonefacti, hor- tatores sumus adolescentiæ, vt ordine discat omnes ar- tes, quæ literis comprehensæ sunt, & Ecclesiæ & communivitæ necessariæ sunt, videlicet grammati- cen, dialecticen, elementa Rhetorices, Arithmeticam, initia geometriæ, Cosmographiam, doctrinam Phy- sicam de natura corporis humani, summam doctrinæ quæ propria est Ecclesiæ, Exordia doctrinæ de moti- bus orbium cœlestium. Harum doctrinarum lucem Deus ipse quidem conseruat in genere humano, sed tamen præcipit, vt & gubernatores & doctores suo quisq; loco conseruationem & propagationem earum adiuuent. Ut igitur vox diuina præcipit, simus fide- les

## VVITEBERGENSIS.

Iles in docendo , & Deo grati simus, qui monstrat nobis suam sapientiam , & reuerenter acquiescamus in veritate agnita, & eam ad gloriam Dei, & ad usum nobis & Ecclesiæ salutarem, conferamus, & non sinamus turbari veritatem præstigijs sophismatum.

## QVINTA.

ET quia fontes doctrinæ Ecclesiæ continentur scriptis Ebræis & Græcis , hortamur , vt has linguas etiam Ebræam & Græcam auditores nostri discant, ac manifestum est Græcæ linguae cognitionem necessariam esse ad fontes artium intelligendos , & ad cognoscendam historiam veterum imperiorum . Ideò ingeniosis & quærentibus fontes doctrinarum, Græca lingua studiose discenda est.

## SEXTA.

Exercitium disputationum multas utilitates adfert. Adsuefacit enim studiosos , vt res intricatas in breues conclusiones , & syllogismos aptè includere possint, & placida opinionum collatio, multas res obscuras eruit & patefacit, & dexteritatem adfert in respondendo, & in omni sermone comitatem. Ideò non omitti disputationes volumus. Ut autem & latinè scribendi exercitium habeant Scholastici, alternis disputationes instituantur à Magistris , & recitentur à Scholasticis Declamationes. Et Magistri qui Grammaticen, Dialecticen

## LEGES ACADEMIÆ

Dialecticen aut Rhetoricen tradunt, Item, qui latinos aut græcos scriptores interpretantur, mandent auditoribus, vt scribant & recitent declamationes. Nulla autem disputatio aut declamatio proponatur publicè, non inspecta à Decano, aut magistris, quorum iudicium probat Decanus. Nolumus enim materias futilem & inhonestas proponi, nolumus & suggillari quenquam docentem in hac Academia, aut manifesta criminatione lacerari, & accendi discordias hoc more disputandi aut declamandi, qui institutus est, vt proficit iuuentuti ad eruditionem & ad virtutem, non ut liuidorum affectibus & petulantiae seruiat.

## DE MORIBVS PRIMA LEX.

Deus conditor generis humani sapiens, verax, bonus, iustus, castus, & iudex, sparsit radios suæ sapientiae, & iusticiae in homines, non solum vt hæc noticia in nobis, de ipso testificaretur, sed etiam vt obedientia cordis nostri & omnium membrorum cum ipso congrueret, & nos essemus templa Dei, quibus ipse in omni æternitate suam sapientiam, iusticiam & læticiam communicaret. Postquam vero hæc hominum natura mersa est in peccatum & mortem, edidit immensa misericordia decretum de Filio suo vnigenito mittendo, propter quem & per quem remittit peccata, & restituít iusticiam & vitam æternam voce Euangelijs & Spiritu sancto in his, qui ad hunc Filium Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pronobis & resuscitatum, in vera conuersione configiunt.

Hi

# VVITEBERGENSIS.

Hi sciunt utrumque velle Deum, & ut doctrina nota sit,  
& ut in cordibus sint verus timor iudicij diuini, &  
conuersio ad Deum, sicut in iuramento expressa est  
voluntas Dei, in quo simul & conuersionis & consola-  
tionis mentio fit: Viuo ego, dicit Dominus, Nolo  
mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat. Sciunt  
etiam quomodo fiat haec conuersio & viuificatio, in  
qua corda rursus fiunt templa Dei, in quibus ipse filius  
Dei sol iusticiæ lucet, & accendit veram Dei agnitionem,  
& Spiritu sancto exuscitat inuocationem & alios  
motus congruentes legi Dei. Haec efficit filius Dei vo-  
ce Euangeli, quod propterea sonare vult in genere hu-  
mano. Quare cum Scholaftici conuentus pars sint Ec-  
clesiae Dei, nos quoque fideliter proponimus auditori-  
bus Euangelium.

Cùm autem in toto genere humano multi sint homines, partim rudes aut leuiter curantes vocem Euangelij, partim contumaces & feri, qui contemnunt Deum, constituit Deus & politica imperia, quibus vult frenari & coherceri externa membra & externa delicta seuerè puniri, vt hæc ipsa pœnarum exempla sint commonefactio[n]es de Deo, de iusticia Dei, & de prouidentia, & vt vita aliorum hominum, qui honestè vivunt, & non turbant communem societatem, protegatur. Ac propter has grauiissimas causas Deus sapiens, iustus & vindic[us], etiam cùm Magistratus non faciunt officium, tamen sua iusticia rapit ad horribilia supplicia in hac vita quoq[ue] pollutos externis sceleribus, iuxta hæc dicta: Omnis qui gladium accipit, gladio peribit. Item, Non habebit Deus insontem, quicunq[ue] nomen

B                    eius

## LEGES ACADEMIAE

eius vanè usurpat. Item, Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item, Væ, qui spolias, quia spoliaberis. Hæc & similia multa dicta testantur, veram esse Regulam: Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ & in hac vita.

Verissimè autem quatuor sunt præcipua officia politici Magistratus. Primum & summum est, sonare vocem decalogi rectè intellecti in genere humano, quia hæc sapientia Dei æterna & immota, est legum omnium fons & norma, ac vult Deus Magistratum præcipue vocem esse huius suæ legis, quod ad externam disciplinam attinet.

Secundum officium Magistratus politici, est, punire vi corporali violantes decalogum externis delictis, quia ad legem necesse est accedere executionem pœnarum, aduersus contumaces, iuxta dicta Pauli: Non frustra gladium gerit, Dei enim minister est, vindex ad iram aduersus mala facientem. Et Demosthenes recitat dictum Æschinis: ὅντερ τοπιον ὁφελός πόλεως, οὐτὶς μὴ νεύρα ἔστι τοὺς ἀδικοῦτας ἔχει.

Tertium officium est politici Magistratus, Diuinis legibus moralibus addere aliquas leges forenses, non pugnantes cum diuinis, sed circumstantias aliquas definientes, ut diuinæ leges maiore cura seruentur. Nam & hac potestate Deus politicum Magistratum armavit, ut sapientia Dei inquit: Per me Principes iusta constituunt, ut cùm prohibet Magistratus gerere arma in oppido, tollere vult occasiones temere pugnandi.

Quartum

B

## VVITE BERGENSIS.

Quartum officium est politici Magistratus, punire vi corporali & hos, qui has leges autoritate Magistratus conditas petulanter violant.

Cùm autem & in Scholaisticis agminibus multi sint rudes, & aliqui feri & mali, attributa est gubernatoribus Scholarum & politica potestas cohercendi & puniendi carcere, & alijs certis modis, eos, qui ad eorum iurisdictionem pertinent.

Itaq; & Scholaisticus Magistratus primum est vox Decalogi, id est, diuinarum legum moralium. Proponimus igitur vobis Decalogram, & eum enarramus iuxta enarrationem filij Dei, Prophetarum & Apostolorum, ac scitis nos huic diuinæ legi debere obedientiam. Præcipimus igitur, vt verum Deum patefactum voce Euangeli agnoscatis, & cum vero timore & vera fide veneremini, sicut se coli præcipit, veram doctrinam de ipso discatis & amplectamini, & rectè eum invocetis, & grati celebretis.

Honesta promissa iuramentis confirmata constanter præstate. Nec fallite iuramenti simulatione. Nec nomen Dei transferte ad iniustas & stultas execrations. Nec exercete magicas præstigias. Nemo probet Epicureos aut alios impios sermones.

Memores estote vocis, quam æternus Pater de Filiio Domino nostro Iesu Christo sonat, inquiens: Hunc audite, ac studiose audite pias conciones, & veneramini ministerium Euangeli, & omnes, qui piè docent Ecclesiam, ac in diebus festis accedite ad publicam precationem, & vestra vota adiungite ad gemitus, precationem & gratiarum actionem reliquæ Ecclesiæ,

B ij & adiu-

## LEGES ACADEMIÆ

& adiuuate conseruationem ministerij Euangelici vera reuerentia & debitis officijs.

Parentibus, Principibus & Magistratibus vestris reuerenter obedite, ac præceptoribus morigeri & grati sitis, quia scriptum est: Non recedet malum à domo ingrati.

Nemo turbet pacem publicam seditionis tumultibus, Nemo occidat hominem, Nemo lædat alterius hominis corpus.

Sitis casti, vt inuocare Deum castitatis amantem possitis, & vitate omnes commixtiones diuinis legibus prohibitas, & agnoscite iudicium Dei, quia certissimum est, horribiles pœnas vagari per totum genus humanum propter libidinum confusiones, vt scriptum est Leuitici cap. 18: Omnis anima quæ faciet aliquid harum abominationum, peribit ex populo suo. Ne polluamini his abominationibus, Ego Dominus Deus vester, videlicet & hoc præceptum vobis trado, & vindex ero.

Non sitis fures, neminem defraudate, non rapites alienas, non depopulamini hortos, non oppugnate cuiusquam ædes. In emptionibus, conductionibus, mutationibus & alijs contractibus exercete iusticiam, & fideliter pendite quicquid alijs debetis. Hanc æqualitatem sanxit vox diuina, vt dicitur Leuitici cap. 19. Ne faciatis inæqualitatem in iudicio, in mensura & pondere, vult enim Deus intelligi iusticiam esse æqualitatem, vt sciamus & ipsum æqualem esse, ac horribiliter irasci omnium sceleribus, & recipere omnes,

## VVITEBERGENSIS.

nes , qui conuertuntur , & ad mediatorem Christum confugiunt.

Sitis & veraces , nec calumnijs & falsis criminacionibus famam cuiusquam lædite. Nec spargite libellos famosos. Nec certate maledicentia & conuitijs. Nec imposturas falsariorum imitamini.

## SECUNDA LEX.

**C**Vm hæc præcepta omnia , quæ recitauimus , diuinatus tradita sint , & sint sapientia Dei æterna & immota, scitis obedientiam necessariam esse , & Deum esse iustum & vindicem , ac verè irasci contumaciæ , & punire fontes in hac mortali vita & post hanc vitam , nisi rursus ad ipsum vera conuersione redeamus. Sed tamen & magistratum vult custodem esse disciplinæ , & frenare iniustos impetus , & punire contumaces. Quare Deo iuuante, seuerè puniemus omnes , qui delicta externa faciunt contra præcepta quæ recitauimus , & re inquisita & cognita in iudicio Rectoris , pro modo delicti reos aut carceri includemus, aut relegabimus aut excludemus ex Academia tanquam infames , vt iudex armatus gladio , maiore seueritate eos , propter mandatum Dei , & propter pacis defensionem puniat.

## TERTIA LEX.

**N**Ominatim autem pronunciamus periuros & infames esse eos , qui retenti mandato Rectoris seu Arresto , vt vocant , contra voluntatem Rectoris hinc discedunt. Item qui legitimè condemnati , contumaciter detracunt autoritatem Rectoris , nec sententijs Rectoris parere volunt.

B iiij

QVAR-

## LEGES ACADEMIÆ QVARTA.

SEuerè prohibemus vociferationes noctu vagantium in platæis, & nocturnos ac diurnos tumultus, ac disertè mandamus, ne quis turbam seditiosè conuocet, Item, ne quis alium prouocet ad dimicandum, aut domo euocet ad dimicandum, néue prouocatus adsentia tur prouocanti. Ac meminerit vterq; se voce diuina, scilicet hac lege, qua Deus pacem cura Magistratum muniri vult, retineri, ne vel in suam vel in alterius pernitiem ruens, terram sanguine iniustè fuso polluat, ac iram Dei irritet. Nam & ad hanc legem pertinet dictum: Necesse est obedire non solùm propter iram, sed & propter conscientiam. Cumq; prouocationes violent iusiurandum, quod Rectori singuli Scholastici dare solent, & per se sint iniuste, atroces, ac latrocinij similes, nec tollerari possint in societate ciuili: Ideo constitutum est à Maioribus nostris, cogente necessitate, ut vtricq; prouocatores, & qui assentiuntur prouocantibus, atq; inter se ex prouocatione dimicant, ex Academia ejciantur. Qualis enim furor esset, si in ipsis templis DEI latrocinia exercearentur? At Scholæ reuera sunt templa DEI.

## QVINTA.

CVM valde periculosem sit in ciuitatibus pacatis eiaculari globos plumbeos, aut similes, prohibemus illas iaculationes, & seueris exemplis petulantiam in hoc genere puniemus.

## SEXTA.

Sciant

## VVITEBERGENSIS. I

**S**ciant auditores nostri mandatum Dei esse, vt quædam corporis partes, quas Deus voluit abditas, & ab oculis remotas esse, honestè tegantur, & omnibus æstatibus in consuetudine ciuii homines honestos approbasse longum vestitum, & iudicasse pudoris & modestiæ significationem esse. Nec enim mulieres tantum, vt Herodotus inquit, sed etiam adolescentes deposita veste, pudorem deponunt. Ideò præcipimus, vt adolescentes veste demissa infra genua vtantur, eaq; in re & pudorem tueantur, qui Deo & castis Angelis placet, & discant honestorum hominum oculos & iudicia vereri.

## SEPTIMA.

**E**T quoniam ad honesta officia communis vitæ hoc quoq; pertinet, vt vocati ad publicarum nuptiarum ceremonias, eò conueniant, & suas preces cum cæteris coniungant, ac petant, vt Deus Ecclesiam, politias, & Oeconomias seruet, Cùm postea iuuentuti concedantur conuiuia & choreæ, mandamus, vt cogitent, hæc ipsa conuiuia & has choreas honestæ disciplinæ causa concedi, vt reuerentiam & modestiam in colloquijs & in omni gestu iuniores discant. Quare seuerè puniemus insulſè tumultuantes in talibus congressibus, ac præcipue eos, qui in choreis immodesti sunt, & qui puellas in gyrum ducunt extra communem harmoniam modestiæ saltationis.

## OCTAVA.

**S**cimus multos pauperes Scholasticos duriter viuire, qui se diuina consolatione sustentent, in qua filius  
Dei

## LEGES ACADEMIÆ

Dei inquit: Primum quærite regnum Dei, & cætera adiūcentur vobis. Et nominatim inquit Deus de cœtu docentium & discentium cap. 18. in libro Moisi quarto: Ego pars & hæreditas tua. Sed sæpe alij faciunt sumptus multò maiores, quam opus erat. Et profusio multipliciter nocet moribus, quia fit propter helluaciones & mala sodalitia, Ideò præcipimus, vt Magistri, quibus commendati sunt iuniores, inspiciant sumptus & mores, Ac vt modus seruetur, dicant ciuibus, ne pecuniam eis mutuo dent, nisi adferant autographa Præceptorum, néue sinant cumulari debita, quia senatus consulto Macedoniano, & lege Principis permisum sit, ne creditoribus soluatur, qui sine autoritate præceptorum infirmæ ætati vendunt res non necessarias, aut mutuo dant pecuniam.

### N O N A.

**O**MNIBUS in rebus modus est pulcherrima virtus, inquit Poëta, Ac modus in cibo et in potu conueniens naturæ corporum præcipuè ad valetudinem tuendam prodest, & utilis est ad perferendos studiorum labores, & ad intentionem in inuocatione Dei, & in omnibus actionibus. Manifestum est etiam sæpe rure ebrios in pugnas, quarum tristissimi sunt exitus. Quare propter mandatum Dei, & propter multas utilitates vitent nostri auditores conuiuia, qualia fuerunt Centaurorum & Lapitharum. Et si qui delinquent ebrij, durius à nobis punientur.


### D E C I M A.

**V**T in hoc Oppido tranquillitas maior esset, sapientes principes Duces Saxoniæ Electores, quo pauciores

## VVITEBERGENSIS.

ciores essent occasiones tumultuum, leges tulerunt  
æquissimas, quibus arma gerere, non solum Scholaſti-  
cis, sed etiam omnibus in hoc oppido priuatis ciuibus,  
& ciuiū ministris, itemq; tumultus omnes ac seditiosas  
molitiones, prohibent. Hæ leges, quibus communis  
tranquillitas munita est, vt semper omnibus notæ sint,  
& sint durabiliores, constitutum est, vt quolibet ſeme-  
ſtri publicè hīc ad verbum de ſcripto recitentur. Man-  
damus igitur vobis & illuſtrissimi Principiſ nostri no-  
mine, & noſtro nomine, vt his legib; obtemperetis.  
Ac vos quidem, qui in ſtudijs literarum ideo versami-  
ni, vt omnia honesta officia melius intelligere, & maio-  
re diligentia mores regere diſcatiſ, decet vltro pro-  
pter conſcientiam, vt Paulus præcipit, voci Magistra-  
tuum obedire. Sed si qui mandato diuino non moue-  
buntur, & has leges petulanter violabunt, ſciant nos  
tamen, iuuante Deo, auxilio illuſtrissimi Prin-  
cipiſ, & Magistratum huius oppidi, has  
leges & communem tranquillita-  
tem, conſtanter defenſu-  
ros eſſe.

VERBA LEGIS HÆC SVNT.



E

Articel

# Urtitel der Ord- nung zu unterhaltung friedlicher wesenheit in vnser Stad Wittemberg.



Rstlich wollen wir / Das  
nu hinsürder kein Student / des-  
gleichen die Bürger vnd Einwohner/  
oder andere / so sich alda wesentlich  
enthalten / dazu die Handwercks Ge-  
sellen / oder Bürgerdiener / in vnser  
Stad Wittemberg / kein Wehre / es  
sey Schwert/Wesser/Tiscken/Hessen/Tölchen/Bley-  
Eugel/Wurfftrenz/Barten/Flegel/Hemmer/Büch-  
sen / oder wie sie genand sind / die sich zu beleidigung  
oder bescheidigung des Leibs zihen möchte / öffentlich  
oder heimlich tragen sollen / welches der Rector allen  
Studenten vnd Gliedmassen vnser Uniuersitet / vnd  
Bürgermeister vnd Rat Einwohnern vnd wesenden/  
auch Dienern vnd Handwerksgesellen/crustlich verbies-  
ten vnd öffentlich untersagen sollen.

Och sollen die personen der dreier Rete/  
der Stad Wittemberg / vnd jre geschworne  
Ratsdiener/desgleichen der Uniuersitet Pedeln/  
die zu erhaltungfriedes vnd einigkeit verordnet / hierin-  
nen ausgeschlossen / vnd jre Wehre zu tragen nicht ver-  
botten sein.

S sollen auch gemelte Pedellen vnd Ge-  
richtsknecht in sonderheit dazu vereidet werden/  
Das sie diejenigen / so sie als vbertreter befinden/  
dem

## Befehl Herzog Friedrichs.

dem Rector oder Bürgermeister angeben/ vnd sollen die Pedellen dem Bürgermeister / die einwoner / diener vnd Handwercks Gesellen / so streslich befunden / Vnd widerumb auch die Gerichtsknechte / die Gliedmas der Uniuersitet/dem Rector anzusagen verpflicht sein / Die doch in keinem weg vom Rector oder Bürgermeistern gegen den vbertretern vermeidet werden sollen.

**W**elcher nu dem Rector oder Bürgermeis-  
tern fur streslich durch die Pedellen oder Ge-  
richtsknecht angeben / derselbig verbrecher sol  
vnuerzüglich / jeder fur seinen gebürlichen Richter / fur  
gefodder / vnd wie billich darumb gehört werden / Vnd  
wo er schuldig befunden / sol er drey Gülden zur straff  
geben / oder aber / wo es jm mehr beliebet / acht tag dasfur  
in gebürlichem Gefengnis enthalten werden.

**G**es sol auch allweg mit der genommenen  
Wehre der gestalt gehalten werden / das die von  
den Studenten / jrem Rector / vnd die andere  
Wehre / so denen außerhalb der Uniuersitet genomen /  
von den einwoneren Bürgern etc. dem Richter geants-  
wort werden.

Welcher aber vber dis / mehr denn ein mal in sol-  
chem freuel befunden / das derselbig in höher straff ge-  
nommen werden sol / vnd also / were es ein Student / das  
derselbig ein zeitlang / nach gefallen der Uniuersitet / res-  
tegiert / Were es aber ein ander / der Uniuersitet nicht  
eingeleibt / das derselbig auch nach gefallen eines Rats /  
ein zeitlang die Stad meiden sol.

Wir wollen auch hiemit nicht gemeinet haben / so  
jemands vber Land vnd außerhalb der Stad reisen wür-  
de / vnd seine Wehre zu solchem furhaben durch die Stad  
**C** ij **tragen**

## Befehl Herzog Friedrichs.

tragen würde/ oder aber ein Seshafftiger Bürger seiner  
narung nach/ auf die felder vnd Gertenarbeit mit sei-  
nen Arbeitsleuten sich begeben wolt/ das der oder diesel-  
ben damit nicht gefehrt/ vnd zu vnbillicher straff solten  
gezogen werden/ jedoch solchs mit gebürlicher vbung  
des friedes vnd gehorsams zu halten.

Würde sich auch einer oder mehr unterstehen/ sich  
diesem vnserem verbot/ vnzimlicher weise widersetzt zu  
machen/ vnd seine Wehre darüber tragen/ sollen der Re-  
ctor/Reformatores/ vnd die vom Rat/ mit ernst darzu  
thun/ vnd denselben vmb solchen mutwilligen freuel zu  
handen bringen/ vnd den on wissen vnd willen von sich  
nicht komen lassen/ der oder dieselben sollen auch mit  
höher straff/ dem wie oben gemeldet/ gezüchtigt wer-  
den.

**S**ol auch hinsürder zu Winterlicher zeit/  
vach neun vhren auf die nacht/ vnd im Sommer  
nach zehn vhren/ in den Schenckheusern oder  
andern Winckeln/ kein zech oder örten weiter gestat-  
werden/ Und der Wirt oder Schenck sol solches/ so die  
stund sein wird/ seinen Gastleuten vermelden. Wo er  
aber dis nicht thut/ vnd über obangezeigte stund/ die  
Geste lenger halten wolt/ sol er/der Wirt/ von jglicher  
stund einen guldēn zur bus dem Rat/ aber die andern der  
Uniuersitet verwand/ dem Rector verfallen sein. Und  
damit in dem gefehrlichen behelff nicht furzuwenden/  
als were vielleicht der Wirt unvermöglich dieselben seine  
Gastleut von sich zubringen/ sol er dieselben aufzuziech-  
nen schuldig sein/ vnd die des andern morgen dem Re-  
ctor/Reformatoren vnd Bürgermeister fürtragen/ die  
sich fürtter gegen inen mit gebürlicher/ vnablessiger  
straff erzeigen sollen.

Es

## Befehl Herzog Friedrichs.

**G**S sollen auch der Rat gemelter unser Stad/die Wacht stadtlich verordnen/ vnd denjelben vorsichtigen befehl geben/ welcher vber die angesetzte stund des nachts auff der Gassen/ on redlich vrsach vnd entschuldigung befunden/ der sol also angekommen/vnd in verwahrung bis auff den morgen zu weiter verhörung des Rectors oder Bürgermeisters/ enthalten werden.

Welche auch jrer gebürlichen gelegenheit vnd notdurfft nach/ die nacht vber die Gassen weberen vnd gehen wollen/ die sollen jre Leuchten haben/ Auch mit keinem Haubtgeschrey einiger vnzucht/sich vermischen lassen/ so aber einer oder mehr gerechtfertiget würden/ der sol jm das zu klagen/ nicht vrsach fürfassen. Jedoch sollen die Friedswarter oder Wechter/ guten vnd zimlichen bescheid gebrauchen/ Es were denn/ das sich der ander theil freuentliche auffenthaltung/ oder leichtsätiger rede erzeigen würde/ gegen demselben/wie es die notdurfft erforderet/ sollen sie in gebürlich zu handeln wissen/ vnd in massen wie obgemeldt/mit der annemung vnd verwahrung/ bis zu der verhör enthalben.

**G**Amit auch in unser Uniuersitet Wittemberg/auffrhur/ conspiracy/ vnd viel vnguts/ so draus entwachsen/ so viel möglich verhütet/ So ordnen wir hiemit ernstlich gebietende/ das forthin alle vnd ißliche Studenten unser Uniuersitet Wittemberg/ ob jnen Klagens von nöten/ so offt sich das begeben möcht/sich enthalten/durch sich selbs/ oder andere/ so sie darzu bitten/ hauffend fur den Rector zukomen/ vnd jre Klag furbringen/ sondern sie mögen nicht mehr/ denn vngesehrlich selb drey oder vier/ mit gebürlicher zucht vnd demut/ jre notdurfft dem Rector anzeigen/

C iiij vnd

## Befehl Herzog Friedrichs.

vnd des Rectors darauff gegebene antwort oder bescheid/bescheidentlich anhören. Vnd so sie desselbigen nicke zu frieden / mögen sie / doch in gleicher mas vnd anzal der personen / die Reformatoren / laut vnd inhalt der Uniuersitet Statuten / besuchen / vnd also / inhalts derselbige Statuta / endschafft der sachen nemen vnd gewarten / alles bey gethanem Eide / damit er vns vnd der Uniuersitet verwand / ongefehrlich. Würde aber jemand darüber / wes Stands er were / Auff lauff erwescken / darzu raten / reden / helffen oder beystand leisten / oder auch der zeit in seinen anligenden sachen / mit einem haussen oder mehr / denn selb drey oder vier vngefährlich / den Rector überlaussen oder uberschicken / derselbige sol damit / vnd also in vnd mit solcher that meincidig / trew vnd ehrlos sein / vnd darfur geacht vnd gehalten /

Vnd zu dem vnser Uniuersitet freiheiten damit besraubt / vnd zu ewigen gezeiten / für ein abgeschnitten vntüchtig Glied berührter Uniuersitet geschutzt sein.



Des

Des Durchseit  
tigsten Hochgeborenen Fürsten vnd  
Herrn / Herrn Augusti Herzogen zu Sachsen  
des heiligen Römischen Reichs Erzmarschal vnd  
Churfürsten / Landgraffen in Döringen / Marggraffen  
zu Meissen / vnd Burggraffen zu Magdeburg etc.  
Unser Gnedigsten Herrn Rescriptum vnd  
befehl / wider die aufflauff vnd  
allerley empörung.

**S** On Gottes gnaden wir Au-  
gustus Herzog zu Sachsen / des hei-  
lichen Römischen Reichs Erzmarschal  
vnd Churfürst / Landgraff in Döringen /  
Marggraff zu Meissen vnd Burggraff  
zu Magdeburg / fügen hiermit zu wissen / euch Rectoris /  
Magister vnd Doctorn vnserer Uniuersitet zu Wittem-  
berg / vnd allen andern / wos gradus oder Standes die  
sind / so sich in derselben vnser Uniuersitet enthalten /  
vnd derer Privilegien vnd Freyheiten zu gebrauchen ver-  
mögen / Das vns beschwerlichen vorkomet vnd ange-  
bracht wird / wie vngearchtet vnserer hiebeuor ausges-  
gangener ernstliche Mandaten vnd befehlichen / densels-  
ben zu wider etliche sich mit vnterschleissen / vnd für  
Studiosos ausgeben / so sie doch die nicht sind noch sein  
wollen / Sondern alleine mitwilligen Tumult anzus-  
richten vnd zu erwecken / vnd zu einer unruhigung der an-  
dern lust haben.

Vnd ob gleich derselben etliche in der zal vnd na-  
men derer / so studieren sollen / mit zugelassen vnd ein ge-  
schrieben weren / So sollen doch dieselben jren Precep-  
toribus

## Befehl des Churfürsten

toribus vnd dem Rat dieser vnser Stad/alleine zuver  
dries aus lauter muthwillen vnd freuel/vber gebürliche  
zeit des Nachts / mit allerley Wehren vnd geschrey/ in  
den Gassen / hin vnd wider vmblauffen / allen vnfug  
treiben / die Kramerbuden vnd Hause stürmen / one  
schew vnd betrachtung Gottes vnd der Oberkeit straff  
vnd zorns / auch vber alles Christlichs vermanen der  
Predicanten vnd jrer Preceptoren.

Wie denn newlicher zeit/ in den heiligen Weynacht  
Feyertagen auch geschehen/ Des wir ein besonders mis-  
fallen tragen / Auch nicht gemeinet sind / solchen geübs-  
ten mutwillen vngestrafft also hingehen / sondern mit  
vleis wider dieselben vffwigler vnd anrichter inquiriren  
zulassen/ vnd wo die erfahren / mit gebürlichem ernst als-  
so zu straffen/ das andere abschew daran haben sollen.

Derhalben so befehlen vnd gebieten wir hiermit  
ernstlichen / vnd wollen/das jr von der Vniuersitet/ so  
den andern zugepieten habet / solchen vnfug abschaffet/  
diejenigen so schuldig befunden/ nicht alleine religiret/  
sondern auch gentlich excludirt / vnd ob jr der nicht  
mechtig sein kontet/ vns dieselben jeder zeit namhaftig  
machet / So wollen wir vns mit gebürlicher Leibs-  
straff/vngeacht wer sie sein / dermassen erzeigen / das sie  
vnsfern misfallen mit der that scheinbarlich befinden sol-  
len.

Insonderheit wollen wir dieser Stad Newer-  
bawetes Rathauses schutz vnd freyheit/ so wir dem Rat  
gegeben/ hiermit weiter erklärt vnd vernewert haben/  
Das jzt von nu an vnd hinförder alle die/ so freuentlich  
mit Fenster auswerffen/ Thürn aussstossen/ oder anderm  
mutwilligem beginnen/ ciniger weise sich daran vergreis-  
ffen/wenn die erfahren oder betreten werden / nach geles-  
genheit

Herzog Augusti.

genheit jrer vorbrechung / vnangeseheit wer sie sind / zu haut vnd har / Leib vnd leben gestrafft sollen werden.

Solchs meinen wir ernstlich / vnd wollen es also geshalten haben / Darnach sich ein jeder wisse zurichten.

Datum vnter vnserm hieraufgedrucktem Secret  
zu Dresden den achten Januarij / Anno 1571.

Augustus Churfürst.

STATVTA COLLE-  
GII FACVLTATIS  
THEOLOGICÆ.



INISTERIVM Euangelij per quod Deus sibi æternam Ecclesiam colligit, semper in genere humano immensa Dei bonitate, & singulari gubernatione seruatur, & subinde instauratur. Sicut ad Ephe. 4. de Filio Dei Domino nostro Iesu Christo scriptum est: Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus: Alios quidem Prophetas, alios Apostulos &c. ne stulti fluctuemus & circumferamur omnivento doctrinæ, per imposturas hominum. Et Esa. 59. dicitur, Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui, deinceps & in sempiternum. Hoc ingens beneficium

D Dei

## LEGES ACADEMIAE

Dei agnoscamus, & simul sciamus ita tamen seruari doctrinam, ut velit Deus cœtus esse discentium libros Propheticos & Apostolicos, & historiam, ac certamina Ecclesiæ, ut vox Euangelij in Ecclesia publicè sonet & propagetur. Quare semper aliqui literati cœtus fuerunt tanquam custodes librorum, quos Deus hominibus commendauit, ut, ad tabernaculum Leuiticum, Collegium fuit Sacerdotum & Leuitarum, & Proptetas, Baptistam, Christum, Apostolos, agmina auditorum, qui postea essent doctrinæ propagatores, comitata sunt. Et ut tales cœtus postea essent, Antiochiæ, Ephesi, Alexandriæ, & alibi Scholæ Ecclesijs adiunctæ sunt. Tales cœtus nunc quoq; Dei beneficio, sunt Collegia Theologica, quæ recte docent Euangelium, quæ ut regat & seruet Filius Dei, sedens ad dextram æterni Patris, & gubernans ministerium, & studia Euangelij, ardentibus votis precemur.

### PRIMA LEX.

PRimum igitur sciant omnes, Collegium facultatis Theologicæ non esse collegium humano tantum consilio constitutum, sed ministerij Euangelici membrum, ad quod etiam hæc promissio Christi pertinet: Vbicunq; duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Et vera studia doctrinæ cœlestis, sunt præcipuus cultus Dei, Sicut Christus inquit Joan. 15. In hoc glorificatur Pater meus cœlestis, ut copiosum fructum feratis, & fiatis mei discipuli. Et in Malachia scriptum est: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam: Et Paulus inquit, se sacrificare Euangelium, præcipit

## VVITEBERGENSIS.

præcipit Deus vt discamus doctrinam, in qua se patefecit, & hoc studium adiuuat & regit, nec aliter Ecclesiam æternam sibi colligit, nisi huius doctrinæ voce, Ideo hæc studia prorsus necessaria esse, & Deo placere manifestum est.

## SECVNDA.

PRæcipua autem cura sit huius Collegij, docere & tueri puram Euangelij doctrinam, traditam in libris Propheticis & Apostolicis, cum quibus congruent Symbola, Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum. Hoc vnum genus doctrinæ verum & immotum, quod quidem est perpetuus Catholicæ Ecclesiæ Dei consensus, doceri & defendi volumus, quod & Ecclesiæ nostræ in confessione exhibita Imperatori Augusto Carolo v. in conuentu Augustano, Anno M.D.XXX, complexæ sunt. Quare seuerissime prohibemus spargi & defendi illas opiniones pugnantes cum illo consensu, & confessione nostrarum Ecclesiarum, Augustæ exhibita.

## TER TIA.

Sint prælectores certi & perpetui in hac Schola quatuor, qui sint subiecti Rectori, admissi iudicio collegij huius facultatis, & habeant testimonium publicum gradus Doctoratus, vel ab hac Schola, vel ab alia. Hi quatuor sint Collegium huius facultatis & collegij negocia communi consilio agant, & fideliter, vt in Ecclesia gubernatores facere decet, concordiam in doctrina tueantur.

D ij

Si

synod

## LEGES ACADEMIÆ

Si quis autem in alia Schola fuerit ornatus Gradu Doctoratus, non recipiatur in hoc collegium, nisi prius explorata sit eius eruditio & sententia de omnibus Articulis doctrinæ Ecclesiæ. Et omnes qui recipiuntur, vel hic, vel alibi ornati gradu Doctoratus, clare testentur, se amplecti hunc consensum doctrinæ, & promittant se fideliter eum secuturos & defensuros esse.

### Q V A R T A.

CVm præcipue hi Doctores, & custodes Prophetorum & Apostolicorum voluminum, & interpres esse debeant, semper à duobus aliqui libri Noui Testamenti, & ab alijs duobus aliqui libri Veteris Testamenti enarrentur. Ac sepissimè repetatur enarratio Epistolæ Pauli ad Romanos, Euangelij Ioannis, Psalmorum, Genesis, Esaiae: Nam in his libris præcipui Articuli doctrinæ Ecclesiasticæ proponuntur. Et Lectores integrum doctrinam explicare studebunt, quam ad rem, vt ordine singulos Articulos enarent, adiungent interdum Symboli Niceni explicationem, Interdum & Augustini librum de Spiritu & Litera enarrabunt, vt iuniores videant doctrinam Ecclesiarum nostrarum, consensum esse purioris antiquitatis & veræ Ecclesiæ Dei. Et in enarrationibus simplex veritas bona fide iuxta mandatum Dei quæratur, & recte & proprio ac perspicuo genere sermonis explicetur. Nec ludant Professores ambiguis inuolucris, nec collegas vel criminentur, vel fugillent in vllis publicis prælectionibus aut disputationibus.

### Q V I N T A.

Horæ

## VVITEBERGENSIS.

Horæ ita distribuantur, ne duo Lectores eandem horam occupent, ne quam æmulationem ea res parereat, fiatq; horarum & materiarum distributio sine ambitionibus certaminibus, candidè & placide. Disputent etiam hoc ordine Doctores Theologiæ, ut singulis annis quadrantibus vna fiat publica disputatio, & sumantur materiæ Theologicæ utiles ad erudiendos auditores.

Ipsæ verò materiæ priusquam publicè proponuntur, ostendantur Decano huius Collegij, qui si aliquid improbabit, iubeat corrigi. Si quis autem vel non ostendet, vel iussus non corriget, Rector & Decanus iubeant differri disputationem in aliud tempus, & propositiones prius in toto Collegio examinentur.

## SEXTA.

SI incidet controuersia de dogmate Ecclesiastico, & vnum vel plures in hoc Collegio, aut alijs concordiam doctrinæ conturbare videbuntur, Decanus eam rem ad Rectorem & consilium totius Vniuersitatis referat. Ac Vniuersitas, si magnitudo rei postulabit, Principi significabit, & Princeps cum consilio Vniuersitatis eliget Iudices idoneos, qui totam controuersiam diligenter examinent, & iudicio suo veras sententias perspicuè adprobent, & falsas perspicuè damnent.

Porro, etiamsi non referetur res ad Principem, tamen Vniuersitas suo consilio iudices idoneos eligat, qui re diligenter cognita, ferant sententias.

Damatæ propositiones non defendantur, & si quis contumaciter defendet, coherceatur tali carcere, ne malas opiniones latius spargere possit.

D ij

SEPTI-

## LEGES ACADEMIÆ

### SEPTIMA.

**N**Emo admittatur ad gradum Doctoratus, nisi toto sexennio audierit enarrationes scripturæ Prophe-ticæ & Apostolicæ, à Doctoribus ordinarijs in Schola, siue h̄ic, siue alibi in Gymnasio, amplectente puram Euangelij doctrinam.

Ritus in renunciatione gradus ita moderentur hi qui pr̄funt, vt grauitas seruetur maximè conueniens, & huic renunciationi & ordini Theologico. Quia hæc ipsa renunciatio non est prophanum spectaculum, sed est publicatio iudicij, quo tot ministri Euangelij testan-tur coram Ecclesia, hunc, quem gradu ornant, recte sentire de omnibus doctrinæ Articulis, & idoneum esse ad explicationem & dijudicationem grauissima-rum controuersiarum Ecclesiæ. Et seruatur consuetu-do tribuendi gradum, ne passim Scholis aut Ecclesijs præficiantur errores ignoti, & inexplorati, qui vnde acceperint genus doctrinæ non ostendunt. Habeant igitur testimonia probati ordinis, si qui volent doce-re, vt sciri possit, quales sint, & vnde genus doctrinæ acceperint. Ideo enim & initio cœtus Scholastici in Ecclesia fuerunt, vt & custodes essent primæ & puræ doctrinæ, & essent testes, à quibus propagata esset do-trina. Ita refutat Irenæus Marcionitas, citans Poly-carpum quem audierat, qui fideliter custodierat do-trinam à Ioanne Apostolo traditam. Et Basilius sæpe citat testimonium Gregorij Neocesariensis.

### O C T A V A.

**D**Electus sit etiam in admittendis ijs, qui gradus pe-tunt, sicut & Paulus præcipit, ne quibuslibet ma-nus

## VVITE BERGENSIS.

nus imponantur, non enim admittendi sunt ad gradum fascinati prauis opinionibus, pugnantibus cum doctrina Ecclesiarum nostrarum. Nec admittantur infames, aut scortatores, sed sint mores eorum, qui amittuntur ad gradum, modesti & casti, ut de Episcopis præcipit Paulus. Quare & honestos maritos, qui doctrinæ Ecclesiasticæ se dediderunt, ad gradum Doctorum admitti volumus.

Liberum sit etiam honestis viris, qui ante gradum cælibes fuerunt, postea coniugium iuxta doctrinam Euangelij contrahere.

Liberum sit etiam mortua uxore, ducere aliam iuxta Euangelij doctrinam. Nec veteres de cœlibatu leges aut vincula vllis imponimus, quæ multis exitium attulerunt, & in multis mediocribus impedierunt veram inuocationem Dei, quia donec manent conscientiæ vulnera, non potest fieri vera inuocatio. Intelligent potius Doctores Theologiæ, coniugium sapientia Dei ordinatum, ad consociandum & coniungendum genus humanum, & ad procreationem multorum, ex quibus Ecclesiam æternam sibi Deus colligit, Deo placere, & bonis mentibus Scholam esse multarum virtutum.

## NONA.

Decanus eligatur suffragijs Collegij huius, & ordine singuli fiant Decani, nisi magnitudo negociorū postularet aliquo tempore seniorē eligi. Ac electus Decanus promittat se his legibus quas recensuimus, obteneratur esse. Quoties autem conuocantur Collegæ, roget

## LEGES ACADEMIÆ

roget Decanus sententias ordine, quo in Collegium singuli adscripti sunt.

### DECIMA.

SI præter ordinarios Lectores, alijs sunt in Academia Doctores Theologiæ, hi cogantur petere ut recipiantur in hoc Collegium, & vñà labores disputandi & examinum sustineant, & consensum doctrinæ pariter cum Collegio tueantur.

### VNDECIMA.

Decano Sigillum facultatis & librum commendamus, in quo nomina Collegarum, perscripta sunt, & viderit vt testimonia doctrinæ, & morum quæ tribuuntur vocatis, ad ministeria Ecclesiastica dentur bona fide.

### DVODECIMA.

De pecunia promotionum seruetur usitata consuetudo. Æquissimum est enim aliquid ad Fiscum conferri Scholæ conseruandæ causa. Decet etiam significationem aliquam gratitudinis ostendi erga eos, qui labores sustinent disputationum & examinum.

### XIII.

Q Votannis Decanus semel conuocet omnes auditores, qui se præcipue dediderunt studio Theologiæ, & aliquorum industriam exploret, & nomina eorum annotari curet, vt si quando vicinæ Ecclesiæ Pastores ac Diaconos flagitant, ex eo Catalogo aliquos indicare possit. Sunt enim hi Scholastici cœtus seminaria Ecclesiarum. Et hæc ipsa Decani diligentia

in

## VVITEBERGENSIS.

in conuocandis auditoribus, & explorandis studijs,  
curam discendi in multis acuet.

### XIII.

CVM Deus seruet aliquos Literatos cœtus singuli  
lari beneficio, ne libri in quorum doctrina se pate  
fecit intereant, sit hæc quoq; cura huius Collegij præ  
cipua, vt in Bibliothecis publicis libri Prophetarum &  
Apostolorum, Ebraici, Græci & Latini reponantur  
& seruentur. Curent & alia scripta vtilia reponi, vt ad  
posteritatem propagentur certa doctrinæ testimonia,  
Et vt semper confectio annalium, & rerum gestarum  
conscriptio fuit mandata Sacerdotibus, ita vt in hoc  
Collegio liber publicus sit, in quo scribatur singulis  
annis historia Ecclesiastica harum regionum, annoten  
tur certamina doctrinæ, iudicia piorum, Exitus & pœ  
næ impiorum, & alijs euentus gubernatorum, memo  
ratu digni. Quia posteris vtile est nosse iudicia veræ  
Ecclesiæ Dei, & exempla diuini iudicij.

### XV.

SEmpre etiam aliqui Doctores in hoc Collegio, & in  
hoc numero quatuor Lectorum, ad latinam linguam  
adiungant, Ebraicæ & Græcæ linguæ studia, vt adiu  
uare alios, & totam Ecclesiam possint in retinenda &  
explicanda proprietate, & phrasí sermonis Ecclesiasti  
ci, & quantum fieri potest, ostendere, quid in fontibus  
legatur, & quæ sit in fontibus vera & genuina verbo  
rum significatio. Dedit enim Deus donum linguarum  
Ecclesiæ propter ministerium Euangelij, & sæpe in  
staurat. Et vult instauratum, non per negligentiam

E amitti,

# LEGES ACADEMIÆ

amitti, Sed propter communem Ecclesiæ necessitatem  
mediocri diligentia & studio retineri.

## XV I.

**O**MNIMUM gubernationum in vita difficilima, est Ecclæsiastica, & magis diuina quām humana, ideō nos omnia, quæ in tanta temporum diuersitate huic Collegio facienda sunt complecti legibus non possumus, Sed hi Doctores videant formam gubernationis in scriptura Prophetica & Apostolica traditam, & prudenter eam imitentur, & quolibet tempore ea, quæ rebus deliberatis communi consilio iudicabunt, & congruere Euangeliō, & salutaria esse Ecclesiæ Dei, agant. Imprimis autem consensum puræ doctrinæ tueantur, & vitent ambitiosa inter se certamina, cūm sciant sæpe Ecclesijs & imperijs ambitionem, prauas æmulationes, cupiditatem vindictæ, factiones, exitio fuisse.

Auditorum etiam ingenia obseruent, & si quis petulans delectabitur prauis opinionibus, hunc vocatum ad Collegium admoneant, & in viam reuocent, Contumaces verò seuerè coherceant. Mores etiam auditorum seuerè regant, curent ut vestitu honesto & infra genua demisso vtantur, sint modesti in omnibus congressibus, sint placidi in disputationibus, sint temperantes & casti, ne impediant inuocationem Dei. Sciant prohiberi omnibus publicis legibus libellos famosos, deniq; meminerint, hos cœtus Theologicos similes esse debere Scholis Eliæ, Elisæ, Iohannis Baptiste, Christi, Iohannis Apostoli, Polycarpi, Irenæi, & similiū. Quandocunq; enim Ecclesia floruit, tales aliquos

# VVITEBERGENSIS.

quos habuit Scholaſticos cœtus, per quos doctrina pia propagata eſt. Horum ſtudia, fidem, & mores noſtri cœtus etiam imitentur.

Eſaiæ § 1.

Posui verba mea in ore tuo, & vmbra manus meæ protegam te, vt plantem cœlos, &c.

## LEGES COLLEGII FA CVLTATIS LIBERA, lium Artium, quas Philosophia continet.



EV S æternus Pater Domini noſtri Iefu Christi, oſtendit generi humano literas & numerorum, figurarum, anni, remediorum, legum de regendis ciuilibus moribus doctrinam, & hiftorias, & feruat hæc dona nobis non ſolum, vt ſint præſidia huius vitæ communia omnibus gentibus, ſed multò magis eō, quia cum DEVS immensa bonitate ex illa ſua æterna & arcana ſede prodicens ſe patefecerit, editis promiſſionibus & iuſtribus teſtimonijs de filio ſuo Domino noſtro Iefu Christo, voluit hanc ſuam patefactionem, dicta & teſtimonia mandari literis per Patres, Prophetas & Apoſtolos, & hac doctrina ſibi Eccleſiam æternam colligi, Sicut Paulus inquit: Euangeliū eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Nec alia eſt doctrina vera de invocatione Dei, de reconciliatione hominum cum

B ij

Deo,

## LEGES ACADEMIAE

Deo, de vita æterna, nisi hæc ipsa tradita à Deo per Patres, Prophetas, Christum & Apostolos. Seruat igitur Deus hunc librum, & Ecclesiam custodem eius esse præcipit. Nec tantum proponi, legi & audiri huius libri doctrinam mandat, sed vult Ecclesiam, tanquam fœtum in aluo materno, huic inclusam doctrinæ ab ea ali, ad vitam æternam, nec alias opiniones de essentia & voluntate Dei, de vera inuocatione, & de reconciliatione admittere. Sicut inquit Dauid: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Cùm igitur neceſſe sit hunc librum à Deo nobis commendatum cognoscere, neq; id sine cognitione literarum, linguarum & multarum artium fieri possit, manifestum est in primis Ecclesiæ Dei literarum studia necessaria esse. Ac ut maximè aliæ gentes impiæ, quæ scripta Prophetica & Apostolica non amplectuntur, carere literis vellent, tamen Ecclesia Dei negligere eas non potest, quia scit Deum huius libri lectionem & interpretationem nobis seuerissimis mandatis commendasse. Quare & fuit semper inde vsq; ab initio, & est, & erit erudita Ecclesia Dei, Omnes Artes quæ literis continentur, illi præstantes viri, Adam, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, & Prophetæ deinceps circumtulerunt. Et postea Ecclesijs frequentioribus eruditæ Scholæ semper adiunctæ fuerunt. Hæc initio cogitanda sunt nostro Collegio, vt sciant omnes & necessaria esse vitæ & Ecclesiæ Dei, hæc nostrarum artium studia, & hunc laborem partem esse militiæ Ecclesiæ Dei, & Deo placere. Quare & ad hunc finem, vt Ecclesiæ Dei seruiamus, referendus erit hic noster labor, & petamus ac expectemus à Deo

## VVITEBERGENSIS.

À Deo gubernationem & defensionem, & quanquam maxima multitudo hominum has nostras operas, & vitam Scholasticam iudicat ignavum ocium esse, ac ne dicit quidem Scholasticum munus partem esse politici status, tamen nos sciamus has ipsas literas atq; artes, non solum ornamenta, sed etiam nenuos esse salutaris gubernationis, & ingratitudini hominum opponamus hanc veram consolationem traditam diuinitus: Non erit labor vester inanis in Domino. His grauissimis causis moucamur, vt fidem & diligentiam in discendis, propagandis, & illustrandis literarum monumentis & artibus præstemus. Gratias etiam agamus Deo, quod aliquam lucem & Euangeli & doctrinæ aliarum honestarum artium accedit. Quantum bonum est rectè, & explicatè tenere doctrinam Ecclesiæ propriam, quæ monstrat veram invocationem, & firmas consolationes de reconciliatione, & gubernationem vitæ in rebus maximis. Deinde quam gratum est homini sano mediocriter aspicere rerum naturam, & in conspectu habere vniuersam antiquitatem, & historias omnium ætatum, & in illis multas magnas rerum mutationes, & mutationum illarum eausas & voluntatem Dei considerare, & inde sumere commonefactiones ad regendam vitam vtiles. Talis lux verum & magnum bonum est, quod vt Deo autori gratitudinem nostram ostendamus, maiore studio tueamur.

## SEC Vnda.

**I**N hac Vvitebergensi Academia constitutum est ab Illustrissimo Principe ac Domino D. Iohanne Friderico

## LEGES ACADEMIÆ

derico Duce Saxonie Electore, Landgrauio Thuringiae, Marchione Mysiae, & Burgrauio Meideburgensi, ut Lectores linguarum & Philosophiae sint decem.

Duo inspectores Collegij, quibus cura Locationis mandata est, quorum alter Dialecticen & Rheticen tradat, alter Physicen & secundum Plinij.

Duo Mathematici, quorum alter Elementa, Arithmeticam & Sphaeram Ioannis de sacro Busto proponat. Alter Eucliden, Theoricas planetarum & Ptolomæi magnam constructionem.

Duo Lectores linguae latinæ, qui & enarrent præcipuos Poëtas, & Ciceronis præcipua scripta, & scribant ipsi latine, non sordidè solutam orationem & versus.

Septimus est Pædagogus, qui subinde repetat Grammaticam latinā, Linacrum, Terentium, aliquas Plauti fabulas, & alia scripta ad captum puerilem convenientia, ex quibus adolescentes sumere latinum sermonem possint, quales nunc sunt Æsopi Fabellæ, à Iachimo Camerario recitatæ.

Octauus Physicus, qui Aristotelis Physica enarret, & Procli theoricas.

Nonus Lector Ebraicæ linguae, qui Grammaticen Ebraicam subinde repetat, & adiungat hos libros veteris Testamenti, Genesin, Psalmos, Proverbia Salomonis, Esaiam, Ionam, Danielem.

Decimus Lector Græcæ linguae, qui subinde repetat Grammaticen Græcam, & hos scriptores, Homerum, Hesiodum, Euripidem, Sophoclem, Theocritum, aliquas Demosthenis orationes, aliquem ex Græcis histori-

## VVITEBERGENSIS.

historicis, interdum verò misceat aliquam Pauli Epistolam, in qua rectè & dextrè ostendat vim verborum, & seriem membrorum orationis, ut videant adolescentes, ad intelligendum sermonem Apostolorum, prodesse liguæ & artium cognitionem.

Idem Lector sit Ethicus, nisi in alterum minus oneratum transferenda hæc prælectio Collegio videbitur. Enarrabit autem Ethicus, quisquis erit, Græca Aristotelis Ethica ad verbum. Sed diligenter discernet genera doctrinarum, legem Dei, Euangeliū, præcepta Philosophica & ciuilia de moribus, dijudicabit seetas Philosophorum, & illustrabit præcepta exemplis.

Hi decem Lectores sint Collegium Philosophicum, quod vocatur Collegium facultatis Artium, & gubernent linguarum & Philosophie studia, communī animo & consilio, multa enim incidunt, quæ ab uno atq; altero sustineri non possunt, Exploranda sunt iuuentutis studia, regenda disciplina, Ad hæc multorum deliberatione & communicatione consilij & operarum opus est. Ideò nōmo sit Lector in hac Facultate, qui nō volet huius Collegij pars esse. Et hi decem Lectores adiungant sibi plures Magistros, quorum mores sunt honesti, & eruditio videtur vsui fore reipublicę. In confessionibus autem publicis & in dicenda sententia cuilibet locus eo ordini tribuatur, quem singulis tempora, quibus ornati sunt gradu magisterij, attribuunt.

## TER TIA.

CVm hic Philosophicus coetus etiam pars esse debeat Ecclesiæ Dei, volumus omnes qui recipiuntur  
in hoc

## LEGES ACADEMIÆ

in hoc Collegium, ampliæ puram Euangelij doctrinam, quam Ecclesia nostra, uno spiritu & una voce cum Ecclesia Dei Catholica profitetur, agnoscant Deum & Filium eius, Dominum nostrum Iesum Christum, & ita doceant Philosophiam, ut non corrumptant doctrinam Euangelij, Nec aut curiositate aut petulantia ingeniorum ferant aut probent, aut defendant prophanas opiniones contumeliosas aduersus Deum, vt multi in gymnasijs aliarum gentium, hac una re perhiberi volunt Philosophi, quia ausint Epicurea aut alios furores defendere. Hanc peruersitatem indignissimam Philosophia, modesta inuestigatrice veritatis, non tolerabimus. Sed meminerint honestæ mentes etiam ab Ethnicis dictum esse, ἐχθρα σοεια λοιδος ρησου θεομ. Imo vero audiant vocem Dei sonantem de cœlo, ac præcipientem, vt filium docentem audiamus. Huius doctrinam prolatam ex sinu æterni Patris, & confirmatam tot illustribus testimonijis amplectamur, & præcipuum rectricem opinionum & vitæ esse dicamus, & frenemus ingenia, vt Paulus inquit, αιχμαλωτιζοντες ταπεινομαχεις της ουπανοης τος ζητησ. Amet etiam & veneretur hic cœtus Ecclesiam & ministros Euangelij, nec studeat γυγναχεις & ab eis dissentire, sed potius tueatur communem Ecclesiæ concordiam. Sit hic cœtus Philosophicus honestum Collegium, Deo seruiens in literarum & artium, quæ sunt dona Dei & res sacræ, custodia & propagatione, non sit agmen Gigantum aut Cyclopum furenter ludens fingendis opinionibus, sicut Gigantes certabant cumulandis montibus, Imo sciant hi Lectores suam gubernationem & studia

## VVITEBERGENSIS.

studia non fore fœlicia , sine agnitione & vera inuocatione DEI , quia humana sapientia nisi regatur & adiuuetur à Deo , facile deerrat , & saepe totis gentibus exitialis est . Ideò dictum est : Initium sapientiae timor Dei . Deinde & hoc sciant , se non solum literas & artes proponere , sed etiam inuitare debere auditores ad agnitionem Dei , & tradere rudioribus , κατύχησιν Euangelij , & multa in materijs Philosophicis monere de collatione doctrinarum , qua in re partem aliquam Ecclesiastici munera sustinent , & sunt σωργοὶ θεῶν . Necesse est igitur ipsos Lectores & verè colere Deum , & tueri Ecclesiæ concordiam . Si quis autem ostenderit se ρυγομάχεη , hunc Decanus Rectori Academiæ indicet , & Rector , re inquisita , puniri & coherceri curet .

## Q V A R T A .

Ex ipsis collegis quolibet semestri eligatur Decanus , qui potestatem habeat conuocandi cæteros , & propoundendi res deliberandas , & rogandi sententias , & dicat primus sententiam , deinde vero obtemperet illi sententiæ , quæ dicta est à maiori parte , quam in Collegio honorum virorum , & non prorsus imperitorum veriorem esse consentaneum est . Si quis autem contumaciter detrectat autoritatem Decani in vocatione , is quia contemnit huius Collegij societatem , deinceps non ducatur esse membrum huius Collegij . Custodiat etiam Decanus librum , in quo leges & nomina eorum , quibus decernuntur gradus , scribi solent , & sigillum , & curet bona fide testimonia dari petentibus .

Eligantur autem Decani , non tantum Lectores ,

F

sed

# LEGES ACADEMIAE

sed etiam cæteri magistri, qui in hoc Collegio adscripti sunt, si tamen eo tempore cum sit electio, in hac Academia versantur, nec accurrunt ut hospites mox post magistratum auolaturi, Et ordo seruetur, quo adscripta sunt eorum nomina. Sed si aliqua temporis ratio postularet seniorem eligi, sit hoc Collegio concessum.

## QVINTA.

Decanus de Collegij sententia horas & materias lectoribus distribuat, ut sit inspector lectionum, ut sit assiduitas, & proponantur utilia, nec longum tempus in materias inutiles, aut inanes cauillationes, quibus aliqui ingenia ostentare solent, collocetur. Sæpe cogitentur, & à docentibus & à discentibus hæc dicta, quorum alterum Senecæ est, Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus, Alterum verò Isocratis. Σοφοὺς νόμιζε μή τους ἀκριβώς τῷ μεγάλῳ μητρῷ ἐριχέοντας, ἀλλὰ τοὺς εὐτῷ τῷ μεγίστῳ λέγοντας.

## SEXTA.

Cum illustrissimus Princeps Johannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector, Landgrauius Turingiæ, Marchio Mysiaæ, & Burggrauius Meideburgensis, pio consilio, stipendia pauperibus Scholasticis suæ ditionis circiter quadraginta constituerit, & velit quotannis eorum studia bis explorari, pertineat ea res ad Decani curam, ut adolescentes mandato Rectoris conuocentur, & adiunctis aliquot ex Collegio, præsit ipse examini.

Cum

## VVITEBERGENSIS.

Cùm enim præcipuè Ecclesiarum causa hæc beneficia pauperibus constituta sint, non est concedendum, vt ociosi abutantur liberalitate publica, sed perficiendum est, vt rectè & ordine discant hi adolescentes, vt doctrinam Euangelij & alias honestas artes propagare possint. Ac meminerint ipsi adolescentes, sæpe Apostolica voce vituperatos esse eos, qui Ecclesiam defraudant, & neglecto officio stipendijs fruuntur.

Et hi Adolescentes non tantum in Grammatica & elementis Philosophiæ examinentur, sed etiam in doctrina Ecclesiæ, præcipuè enim ideo hæc beneficia Princeps largitur, ne desint ad posteritatem homines idonei ad docendas Ecclesiæ.

## SEPTIMA.

Decanus curet, vt ordine magistri adscripti in Collegium disputent. Ac priusquam disputatio publicè proponitur, Decano monstretur, qui nō concedat proponi materias absurdas, falsas, inanes, Sed iubeat veras & profuturas vitæ eligi, quod propter multas causas utile est. Primum enim conducit inseri veras & bonas opiniones teneris mentibus. Deinde ad amorem veritatis assuefieri iuuentutem, multo melius est Republicæ quam ad studium defendendi paradoxa, & labefactandi communes & honestas sententias, comprobatas veris iudicijs sapientum, Et quia Paradoxa non veris argumentis, sed tantum Sophismatum præstigijs defenduntur, consuetudo Sophistices, postea religiones, & grauissimarum rerum deliberationes turbat, imo & priuatim in mentibus ciet magnos tumultus,

F ij

easq;

## LEGES ACADEMIÆ

easq; tandem Pyrrhonij's dubitationibus de religione,  
& alijs multis rebus implicat. Experientia etiam ostendit, prauas esse naturas & seditiosas, quæ amant absurdas & monstrosas opiniones & artium conturbationes, Estq; verissimum quod dixit Euripides, ἐθλὸρ τὸ σαφές.

Ideò vera & recta proponantur. Nec existimandum est leue exercitium ingenij esse, confirmare vera, & explicare contraria. Multa sunt enim magnæ causæ in omnibus artibus, in quibus contra veritatem multa plausibiliter dicuntur, quæ refutare magni est artificis in suo genere.

Hoc igitur exercitium amemus, vera confirmandi & euoluendi ex illis præstigijs quæ opponuntur.

Liceat etiam Decano & alijs Lectoribus amanter & iuuentutis erudiendæ causa interfari, cùm responsio aliqua displicet, vt sit in alijs Academijs, vbi ea est inter Lectores benevolentia mutua, ne quis arrogantia aut φιλονεκία vel interpellet alios, vel interpellare existimetur, sed vt in conuiuio familiare & suaue colloquium inter amicos esse ducitur. Nec profecto vlla est dulcior cantilena bonæ menti, quam audire viros sapientes, graues amicos, veritatis amantes, placide suas opiniones conferentes, & in tali collatione veritatem, vel inuestigantes vel illustrantes.

Postremò, si quis confusè sine Dialecticis formis, aut stomachosius rixatur potius, quam disputat, aut etiam cōuiciatur, dicat ei Decanus quod Socrates Memnoni apud Platonem, Δεῖ πραόπερον τῶς Καὶ διαλεκτικόπερον ἀπόκρινεθαι. Sit etiam monitor lectoribus linguae latine,

## VVITEBERGENSIS.

tinæ, & græcæ, & Dialectices, ut curent scribi, recitari  
latinas declamationes, & argumenta eligi honesta.

### O C T A V A.

DE gradibus seruetur consuetudo, quia comperimus  
studijs profuisse & prodesse examina, & cùm se ad  
gradus præparant iuuenes, res cogit eos certis artibus  
immorari, quod vt magis fiat, sciant studiosi nos exa-  
mina non in cauillationibus, aut ociosis quæstionibus  
consumpturos esse, sed in præcipuis artium materijs,  
in Dialecticis, & Physicis, Arithmeticæ, Euclide, Sphæ-  
ra, Theoricis, in locorum interuallis computandis ex  
longitudine & latitudine locorum, & in doctrina Ec-  
clesiæ. Harum doctrinarum cognitio vtilis est omni-  
bus temporibus, siue gradus accedant, siue non acce-  
dant. Et tamen cura discendi crescit in his, qui sciunt  
se iudicia præceptorum subituros esse, & secum ipsi  
meditantur, quomodo ea quæ audierunt explicaturi  
sint. Est etiam honestum habere bonorum & docto-  
rum virorum testimonium, & gradus familiaritatem  
cum præceptoribus alit & auget.

Sint autem inculpati, honesti, probati graui testi-  
monio mores eorum, qui ad gradum admittuntur, Nec  
admittantur contaminati prauis opinionibus de do-  
ctrina Ecclesiæ, aut in quorum moribus aliqua hæret  
turpitudo. Si quis ex alia Academia veniens petet gra-  
dum, non admittatur nisi certum testimonium adfe-  
rat, quod disertè adfirmet, mores eius esse inculpatos  
& honestos. Non callentem grammaticam, & sum-  
mam doctrinæ Ecclesiæ, ad nullum gradum admitti  
volumus.

F iij

NONA.

## LEGES ACADEMIÆ NONA.

Vita humana non potest carere arte numerandi, ut manifestum est. Et ea ars verè ianua est cùm aliarum quarundam artium, tùm verò doctrinæ de motibus cœlestibus. In quam sententiam multa dicuntur à Platone, cuius pauca verba recitabimus, etsi in re tam manifesta nihil opus est testimonio. Sed tamen profert adolescentes magnorum hominum dictis & autoritate, ad hoc studium accendere. πάντα δὲ τῶν περιών  
ἀπόλλυται τὸ πέρι πάπαρος ὅταρος ἀριθμεῖσκην τις ἀνέλη. Tenentibus autem Arithmeticam, patet iam aditus ad motuum cœlestium doctrinam, & quamuis abstrusa videtur, tamen comprehendi facile poterit. Præcipimus igitur omnibus Scholasticis, qui Grammaticen & Dialecticen discunt, vt adiungant Arithmeticam. Magistris etiam mandamus, qui regunt adolescentum studia, vt adigant eos ad audiendam & exercendam Arithmeticen.

Et quia Deus sapientissimo consilio voluit certa esse anni spacia, & doctrinam de motibus cœlestibus seruat, ne annorum discrimina amittantur, sit etiam curæ harum artium professoribus, vt extent Calendaria annua, & Ecclipsium indicationes. Ac si quod opus in eo genere elaborarint, curet Decanus, vt de publico munus detur artifici. Præcipue enim nos, qui Philosophiæ studia colimus, & has artes honore adficere decet, & iustum est dare ijs aliquid præmij, qui opera nobis suo aliquo sumptu facta exhibent, cum toties nobis doctrina de iusticia concionetur, τοῦτο δικαιογορος συμμilia h̄i πολιτῶν.

Illud

## VVITEBERGENSIS.

Illud verò etiam optandum est, vt Principes inuitent artifices, vt Ephemerides aliquot venientium annorum ad usum posteritatis nunc instituantur & edantur, quod sine Principum auxilio in his temporum difficultatibus fieri non potest. Et tamen huius rei curam necessariam esse, prudentes sciunt.

### D E C I M A.

Optandum erat in Academiam non ante mitti adolescentes, quam Grammaticam mediocriter didicissent, & aliquem sermonis latini usum haberent. Sed cum ætas adhuc rudior & nondum instructa cognitione Grammatices, huc veniat, & commendetur Magistris, qui priuatim docent, mandamus talibus Praeceptoribus seuerissimè, vt fideliter officium suum faciant. Nam neglectio in illa prima institutione, nunquam postea sarciri potest, & damnum non solum priuatim ad illos discipulos, sed ad totam Rempublicam pertinet.

Cumq; Deus horribiliter declarauerit iram suam aduersus parentum negligentiam in regendis filijs & filiabus, in poena Sacerdotis Eli & filiorum eius, haud dubiè punit Deus & puniet omnibus temporibus ignorantiam eorum, qui adolescentiam, quam regere debebant, volentes negligunt.

Sit ergò propter salutem Reipublicæ, & propter gloriam Dei, maior in omnibus cura faciendi officij, sint etiam discipuli obsequētores propter suam & publicam salutē, & metuant Deum vindicem contumacię

Vtricq; autē, præceptores & discipuli, eò diligentius faciant suum quicq; officium, quia nō hoc vnum malum sequitur

## LEGES ACADEMIAE

sequitur primæ ætatis neglectionem, quod facti gran-  
diores, sunt indocti & minus idonei ad præcipuas in  
Republica deliberationes, sed etiam sunt indociles, nec  
percipere possunt disputationes paululum recedentes  
à vulgi captu. Ita fit neglectione ipsa acies mentis he-  
betior, quod maius & perniciosius malum est, quam  
inscitia.

Ordo autem assuefacit homines ad disciplinam, &  
ad moderationem, & iuuat discentes. Ideo adolescen-  
tibus præceptores recte distribuant tempora studio-  
rum, cibi & somni. Non concedant produci in multam  
noctem lucubrationes, aut ludos.

Quotidie mane cum surrexerunt è lecto adolescen-  
tes, legant Caput in veteri Testamento, vesperi ituri  
dor mitum legant Caput in Nouo Testamento. His le-  
ctionibus adiungant precationem, quæ accendi debet  
cogitatione alicuius historiæ tunc lectæ.

Nec propterea omittant hinc lectionem, quod  
multa nondum intelligunt. Necesse est enim à prima  
puericia statim historiarum seriem aliquomodo co-  
gnoscere. Et nisi prima adolescentia ad studium legen-  
di adsuefacta fuerit, virilis ætas postea ferocior magis,  
abhorrebit à lectione. Omnia quæ prima ætas vtcuncq;  
didicit, postea & familiarius nota & gratiora sunt, &  
quia altius egerunt radices, citius se in deliberationi-  
bus offerunt.

Cibum sumpturi prius dicant precationem, Poterat  
enim Deus naturam hominum ita condere, vt sine ci-  
bo vixisset, Sed sic condidit nos, vt in multis rebus  
aliena ope nobis opus sit, vt commonefacti nostra  
egestate

## VVITEBERGENSIS.

egestate cogitemus, vnde res oriantur quibus alimur,  
& Deum autorem agnoscamus, & petamus ab eo bona.  
Hæc fieri vult, cum cibus expetitur aut proponitur.  
Et quidem in precatione, quam Filius Dei nobis  
tradidit, ad petitionem cibi ac victus, adiunguntur pe-  
titiones de remissione peccatorum & rebus æternis, de  
quibus simul cogitandum est. Vult enim Deus pro-  
missiones bonorum corporalium commonefactiones  
esse de promissionibus rerum æternarum, & commi-  
nationibus, & de vniuersa diuina gubernatione.

A cibo agant gratias, deinde historiam aliquam  
aut aliud utile scriptum legant, Decet enim ad men-  
sam accedere, & à mensa abire cum inuocatione Dei,  
& cum singulari modestia, ut fecisse inde vsq; ab initio  
Mundi, omnes qui norunt veram Dei inuocationem,  
non dubium est. Melchizedech pascens exercitum,  
prius dicit præcationem. Seruat eum morem & Chri-  
stus. Et Paulus clarè inquit, sanctificatur cibus per ver-  
bum & præcationem, id est, verbo Dei erudimur, na-  
turam à Deo conditam esse & foueri, & cibos esse do-  
na Dei, & qui cibi hominibus concessi sint. Accedat  
autem precatio accensa fide petente vitam, victum &  
gubernationem à Deo. Cum mentes ita Deum intuen-  
tur & eius voluntatem cogitant, placet Deo usus cibo-  
rum.

Fuitq; mos Precandi ad mensam adeo communis,  
ut homines bene morati etiam apud ignaros veræ in-  
uocationis, tamen ritum retinuerint, Non assident ad  
mensam Duces Homerici, nisi facta libatione, quæ fie-  
bat cum prectione,

G

Et

## LEGES ACADEMIÆ

Et multæ admonitiones de modestia conuiuiorum extant in Ethnicis , quale illud est , quod iubet ornare conuiuia suavitate & moderatione mensam , & sua quenq; fortuna contentum esse , ne maiora appetens , accersat sibi & reipub. magnas calamitates , συμπόσιον κοσμῶμ ιερὸν τὸ σὸν ἐυθεμίαν . Certè non ornat conuiuia , quo vt porci irruunt in epulas sine modestia , & sine inuocatione Dei , & quia à talibus conuiuijs abest Deus , ideo sæpe exitus sunt similes conuiuij Centaurorum & Lapitharum . At nobis mensa sit , vt olim vocabatur sacra , hoc est , sit commonefactrix de Deo æterno fo- uente naturam , & gubernante inuocantes .

Diebus festis cogantur adolescentes interesse publicæ congregationi in Templis , & discant ibi coniungere suas preces cum Ecclesia Dei . Nam de hac communi precatione peculiaris edita est promissio , Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo , quidquid petent fiet eis .

Priuatim verò diebus festis post publicas conciones , domestici Præceptores Catechesin doctrinæ Christianæ recitare discipulos cogant , & interrogent eos ordine de Articulis fidei & doctrinæ locis præcipuis , quod sit discrimen Legis & Euangelij , quid intersit inter inuocationem Ethnicorum & veræ Ecclesiæ Dei , Quid sit peccatum , Quomodo detur remissio peccatorum , Quid sit fides , quæ sint in inuocatione necessaria , Quæ sint Sacra menta , & quis sit eorum usus , quæ sit Ecclesia Dei , & quomodo sit agnoscenda .

Huius

## VVITEBERGENSIS.

Huius amplissimæ doctrinæ semina inseri teneris animis necesse est. Cùm enim dicit Christus, Sinite paruulos venire ad me, vult certe se monstrari tenellis mentibus, vult paulatim in eis accendi agnitionem Dei, quod fieri non potest, nisi doctrina assidue eis instilletur.

Deinde ad fidem domestici præceptoris pertinet, cogere pueros, vt discant, memoriae mandent, & recitent Regulas Grammaticæ, & poscat regulas præceptor in examine, cùm declinationes, coniugationes, & Syntaxes inquiruntur.

Quod enim aliqui fugientes insuauem laborem inculcandi regulas, tantum usu & imitatione linguam latinam disci posse contendunt, error est perniciosus studijs & iuuentuti. Nam qui regulas ignorant, etiamsi vtcunq; verborum copia instructi sunt: tamen non semper norunt ea recte contexere. Et cùm de Syntaxi dubitant, hæc ipsa hæsitation deterret eos, ne latine loquantur aut scribant, Ac multi tandem propter hanc ipsam causam desperato fructu studiorum, deserunt Scholas. Volumus igitur regulas Grammatices & proponi & disci.

Sermo etiam formandus est, ideo cogantur pueri latine loqui, & singulis septimanis scribere aut Epistolas, aut narrationes ætati conuenientes.

Et quanquam non omnes naturæ pari fœlicitate carmen fundere possunt, tamen quia Grammatici meliores fiunt, qui versus mediocriter scribunt, & hic labor ingenia acrius exercet, & Poëtarum cognitio alit copiam sermonis, & acuit iudicia, ostendatur

G ij adolescen-

## LEGES ACADEMIÆ

adolescentibus & ratio versuum faciendorum, & eruditiores misceant hoc exercitium scribendi versus cæteris Latinæ linguæ exercitijs.

Mittant etiam Præceptores domestici Discipulos ad aliquas lectiones publicas, ipsis utiles, vt luce & frequentia auditorum, & varietate rerum excitentur ad Dialecticen, Arithmeticen & Sphæram.

Mores etiam infirmæ ætatis honestè & piè regant, quod quidem facient facilius, si ordinem lectionum & exercitiorum prudenter instituerint, & in docendo illecebros miscebunt ex quadam historiarum, sentētiarum, fabellarum, dictorum & exemplorum varietate, vt ipsa rerum suauitate teneri animi inuitentur & detineantur, & se aliquo modo proficere ipsi intelligent. Ita doctrinæ dulcedo flectet animos ad virtutis amorem, & ad moderationem.

### V N D E C I M A .

**M**Ores omnium Lectorum sint honesti, pīj & inculpati, ac si qua suspicio vagarum libidinum, aut adulterij de aliquo erit, ex veri similibus orta coniecturis, Decanus cum indicet rectori, & re inquisita, reo damnato adimantur lectio & stipendum. Non enim tantum Ecclesiarum pastoribus, Sed nobis omnibus, etiam qui adolescentiam, in qua sunt Ecclesiæ seminaria, regimus & docemus, concionari Paulum statuamus, cum inquit, ἀλλὰ πότε γίνεται τις ἡγούμενος, ἢντας φόρο, ἢντας αγάπη, ἢντας τιμή, ἢντας αγνεία, πρόσεγε τῇ ἀναγνώσει.

Inseruimus enim hanc sententiam his nostris legibus, quia breuis regula est omnium actionum nostrorum,

## VVITEBERGENSIS.

rum, quam utile est semper mente circumferre, semperque in conspectu habere, tanquam normam totius nostrae vitae & gubernationis.

Et quanquam multis in Collegio nostro in manibus sunt politici libri Aristotelis & aliorum, tamen haec breuis tabella diuinitus proposita per Apostolum, nos de magis necessarijs virtutibus commonefacit, quam illa, quamvis diligenter & prudenter collecta Philosophorum pracepta.

Iubet Paulus hos qui praesunt, ita excellere virtute, ut eorum exempla preluceant alijs. Non simus scandalo ceteris, non laxemus ipsi frenos disciplinæ, ne alij plus licentiae sibi propter nostra exempla sumant.

Et quidem præcipit, ut simus exemplo fidelibus. Meminerimus quo in coetu versemur, non inter Cyclopes aut Centauros, non in Platonis Academia, sed in Ecclesia Dei, in qua Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, & Filius eius Dominus noster Jesus Christus adsunt, & Spiritus sanctus vere in multorum adolescentium corda effusus est, ubi & Spiritus angelici Deo chari custodes sunt horum agminum. Hoc Dei templum prophanare & polluere, & quasi Deum expellere ex hoc domicilio, magnum scelus esse sciamus. Quoties in auditorium in confessum Scholasticum ingredieris, veniat in mentem, te in conspectum Dei, Christi, & Angelorum venire, ad quos non adferendus est contemptus iudicij diuini, Sed mens pia, & petens iuuari, & gubernari nostra studia, quæ non sunt fœlicia & salutaria nobis, Ecclesiæ & Reipublicæ, nisi à Deo iuuentur. Maior ergo diligentia regendorum

G iij

morum

## LEGES ACADEMIÆ

morum à nobis flagitatur , quia ciues Ecclesiæ sumus,  
quām in Schola Platonis aut Aristotelis flagitaba-  
tur.

Quas autem virtutes nominat ? Sitis inquit ex-  
emplo Ecclesiæ Dei,in sermone , id est , in toto genere  
doctrine. Sequitur infirma ætas vestra iudicia,vestram  
interpretationem de rebus maximis , Quare sit vera  
& pura doctrina,Fugite falsas, impias, immanes op-  
niones.

Postquam de doctrina præceptum tradidit,deinde  
concionatur de moribus in conuersatione, id est,in ex-  
terna disciplina honesta, iuxta omnia præcepta decalo-  
gi. Cùm enim nominat conuersationem, de toto gene-  
re externalium actionum loquitur , quod vslitate voca-  
mus in Philosophia iusticiam vniuersalem.

Sed addit,in dilectione , id est, Non satis est actio-  
nes externas inculpatas esse,vt sunt in multis hypocri-  
tis,sed sit vera cordis dilectio inter uos. Absint super-  
bia,fastus,inuidentia,æmulatio Cainica , Καϊνία, ma-  
levolentia,liuor,κάκοθεα, obtrectatio,studium nocendi,  
artificia premendi collegas , insidiæ , cupiditas vindic-  
tæ. Sed sit vera benevolentia inter collegas, tanquam  
fratres, quæ concordiam alat & tueatur , & propter  
amorem mutuum inter ipsos priuatim , & propter  
Rempub. Nam Philosophicæ amiciciæ referri debent  
ad publicam vtilitatem.

Ac nos quidem in Ecclesia propter Deum tueri  
concordiam debemus, vt Deus vere à nostris audi-  
toribus & alijs , vno pectore inuocetur , nec dissidijs  
turbetur vera inuocatio. Ideò dicti illius cogitatione  
semper

## VVITEBERGENSIS.

semper nos ad studium concordiae exuscitemus: Qui manet in dilectione, in Deo manet. Significat enim hunc in Deo manere, qui doctrinæ consensum tuetur, & mediocribus officijs concordiam collegarum alere studet, ut Deo obtemperet, & ut scandala caueantur, quæ lœdunt gloriam Dei.

Addit, In Spiritu, id est, zelo Spiritus. Sit dilectio in nobis, Sed tamen ita, ne vicia alamus aut confirmemus nostra indulgentia, sed petulantia ingenia seuerè coherceamus, nec spargi prauas opiniones sinamus, nec morum turpitudines dissimulemus.

Rursus etiam iudicio spiritus negotia discernamus, ut vbi pugnandum sit, vbi lenitas utilior sit consideremus. Hæc propria sunt iudicij spiritus. Nam homines prophani sæpe tūm in mouendis certaminibus, tūm in negligentia prætexunt publicas causas priuatissimis cupiditatibus.

Addit Paulus, in fide, id est, fiducia & expectatio ne diuini auxilij, in periculorum tolerantia. Etsi multa sunt pericula in omnibus vitæ generibus: tamen nostri ordinis conditio durior est, quam aliorum. Toleranda nobis sunt odia potentum, contemptus, inopia, & multæ iniuriæ, & pugnandum est cum multis difficultatibus. In his miserijs tamen nos promissionibus diuinis consolemur. Sciamus Deum seruatum esse Scholas & studia propter suam gloriam, etiamsi sumus imbecilles, & præsidia humana vel nulla, vel exigua habemus. Sic defendit Deus Sareptanæ viduæ Domum, cum ibi esset Eliæ Schola.

Non

## LEGES ACADEMIÆ

Non igitur abiijciamus professionem, fracti miserijs aut metu, sed fide perferamus aduersa, & expectemus auxilium Dei in tota gubernatione, & periculis. Hæc fides conspiciatur ab alijs pījs, vt discant ipsi quoq; firmiora præsidia esse fidem & inuocationem Dei, quam humanam potentiam.

Sequitur, In castitate. Accedere necesse est ad cæteras virtutes castitatem, vt særissime præcipitur, Non sis mœchus. Item, Nolite errare, Scortatores, Adulteri, &c. non possidebunt regnum Dei. Executiunt igitur Deum Rectorem vagæ libidines, & comitantur eas pœnæ horribiles, cæcitas & multi furores, & tristissimæ calamitates, vt Davidis Historia ostendit. Et plenæ sunt exemplorum omnes ætates, in quibus conspicitur ira Dei, vt sciamus verè dictum esse in Epistola ad Ebræos, Scortatores & Adulteros puniet Deus, & in hac vita, & æterno suppicio, nisi emendentur. Ideo etiam tueri castitatem necesse est, ne excutiatur inuocatio Dei. Donec enim laxatur frenum libidini, & voluntas ruit contra conscientiam, nulla potest esse Dei inuocatio. Nulla est autem reuera maior miseria, quam non posse Deum inuocare, nec habere eum custodem & gubernatorem. Nec studia fœlicia sunt, nisi mentes castæ à Deo iuuentur.

Postremo etiam Ethnici tantum decus esse huius virtutis dixerunt, vt cæteræ sine hac videantur esse velut statua sine capite, vt est in versibus Bacchylidis;

Vt nisi sit viuo fisces expressa colore,

Non decus in picto corpore truncus habet,

Sic

## VVITEBERGENSIS.

Sic reliqui mores spreti sine honore manebunt,  
Ni sint ornati laude pudicitiae.

Tueantur ergo castitatem & celibes & mariti, &c  
cum sciant hoc docendi munus ad Ecclesiam Dei per-  
tinere, & Deum velle seruari literas & honestas artes,  
quæ literis continentur, seruire se Deo statuant, & re-  
ferant suos labores ad gloriam Dei, & ab eo auxilium  
petant, & eum veris officijs colant. Postremo & assi-  
duitatem in studijs præcipit Paulus, cum ait. Sis assi-  
duus in lectione. Cumq; hac breui sententia præcipuas  
virtutes nostri munera complexus sit, sæpe eam nobis  
tanquam monitricem proponamus.

## DODECIMA.

CVret Decanus utiles libros Philosophicos in Bi-  
bliotheca publica reponi, Et cum semper his, qui  
studia literarum rexerunt, simul commendata fuerit  
cura colligendæ historiæ superiorum temporum, &  
rerum præsentiam annotandarum, vt memoria earum  
rerum quas posteritatem scire prodest, propagaretur,  
Decanus sit monitor, vt perpetuae Historiæ in Biblio-  
theca publica reponantur. Et sit in hoc Collegio liber,  
in quo singulis annis res magnæ & dignæ memora-  
tu, ab aliquo in nostro Collegio perscribantur, qui &  
intelligat quæ res literis mandandæ sint, & quomodo  
sint recitandæ. Nec tantum euentus narret, vt Germa-  
nici scriptores veteres horride narrarunt, sed vt in  
Philosophia eruditus, inquirat fontes & causas nego-  
ciorum, & æphorum, Eclipses, Cometas, insignes si-  
derum positus, personarum naturas, ingenia, volunta-

H tes

## LEGES ACADE. VVITE.

tes & studia, inuocationem Dei, signa auxilij & iudicij diuini. Non enim tantum propter euentuum memoriam expetenda est historia, sed etiam propter hanc doctrinam, vt qui euentus, quæ religionum & imperiorum mutationes, quas causas secutæ sint, consideretur. Præcipue verò recitet Ecclesiarum & doctrinæ certamina, & saniorum de controuersijs iudicia, deinde addat ea quæ in gubernatione publica, tum harum regionum, tum verò reliquæ Germaniæ memorata digna acciderunt. Nam propter multas magnas causas memoriam rerum magnarum quæ geruntur, præsertim in Ecclesia Dei, ad posteros propagari & retineri necesse est.

## F I N I S.

Johan. 17.

Pater sanctifica eos in veritate, Sermo tuus est veritas.



Articel

H

# Artikel etlicher notwendiger Ordnung vnd Satzungen/ zu erhaltung guter Zucht vnd Disciplin/

Durch den Durchleuchtigsten Hochgeborenen Fürsten vnd Herrn/ Herrn Augustum/  
Churfürsten zu Sachsen etc. vff ansuchen der löblichen  
Universitet zu Wittemberg / vnd eines Erbarn  
Rats daselbst / bestetiget / Vnd den ersten  
tag Maij publiciret worden,  
Anno 1562.

**S** On Gottes gnaden/wir Au-  
gustus Herzog zu Sachsen/des heiligen Römischen Reichs Erzmar-  
schall vnd Churfürst / Landgraff in  
Döringen / Marggraff zu Meissen / vnd Burgs-  
graff zu Magdeburgk. Bekennen vnd thun  
fund/ fur uns/vnsere Erben vnd Nachkommen/ ge-  
gen meniglich. Nach dem die Wirdigen vnd  
Hochgelarten / vnsere liebe andechtigen vnd ge-  
trewen/Rector vnd verordente Doctores vnsrer  
Universitet zu Wittemberg/ vnd neben denselben  
auch vnsere lieben getrewen / der Rat daselbst  
uns unterthenigst fürgebracht / wie sie zu förde-  
rung Gottes ehre/auch zu erhaltung eüsserlicher  
Zucht

## Artikel etlicher

Zucht vnd guter Sitten / bey den Jungen Studenten / so in gemelte vnsere Uniuersitet zu studieren oder zu lernen verschickt vnd unterhalten werden / sich etlicher notwendiger Ordnungen vnd Satzungen semplich miteinander vereiniget vnd verglichen / Welche fur nemlichen dahin gerichtet / wie sich die Jungen Studenten mit der Kleidung/wandel vnd leben / desgleichen in fren Herbergen/vnd sonst allenthalben/erzeigen sollen/ Wie es auch in der Stad Wittemberg mit den Verlobnissen/Hochzeiten/ vnd andern/ zu halten/ vnd was massen die verbrecher zu straffen / Und der wegen gebeten / das wir solche jre Ordnung zu auffnahme vnd gedeihe vnserer Uniuersitet/ annehmen vnd bewegen / vnd jnen dieselb / als der Landesfürst/gnedigst confirmieren vnd bestetigen wollen/Das wir dieselben von jnen angenomen/ geschen/vnd bewogen / welche denn von wort zu wort also lauten/ wie nachfolget :

**E**s kan nichts herrlichers von Menschen gesagt werden / denn das er zum Bilde Gottes geschaffen/welches Gotte gleich sey/Denn unter allen Gottes Geschepfen dis das herrligste ist / welches er zu seinem Bilde geschaffen hat. Dis Bild ist aber durch den Satan jemerlichen verderbe / also / das in dens/ welche durch den heiligen Geist nicht von newem geborn/nicht Gottes Bilde / sondern die Sünde leuchtet

## notwendiger Ordnung.

tet vnd regieret. Es sollen aber diejenigen / welche nicht neu geboren / wissen / das sie dennoch in dem Kerker des Gesetzes gefangen vnd beschlossen ligen / vnd eusserliche zucht zu halten / vnd dem Gesetze zu gehorsamen schuldig sind / wie Paulus spricht: Das Gesetz ist den uns gehorsamen / vnd vngerechten / den Gottlosen vnd Sündern / den unheiligen vnd ungeistlichen / den Vatermörtern vnd Muttermörtern / den Mörtern vnd Totschlegern gegeben.

Erstlich darumb / Dieweil Gott solche zucht hat geboten / vnd alle Creaturen Gott zu gehorsamen schuldig sind.

Zum andern / Auß das sie die zeitliche vnd ewige straff vermeiden mögen / Denn Gott ein straffer vnd rechter der Sünden ist / wie geschrieben stehet / vnd die erfahrung bezeuget: Wer das Schwert nimpt / der sol durchs Schwert vmbkommen. Item: Hurer vnd Ehebrecher wird Gott straffen.

Zum dritten / Das Gottes wille ist / das alle Menschen den zeitlichen frieden / rhue vnd einigkeit im Menschlichen Geschlecht sollen helfen erhalten / vnd denselben nicht verunruhigen oder zerstören / wie geschrieben stehet: Wer leben wil vnd gute tage sehen / der schweige seine Zunge / das sie nichts böses rede / vnd seine Lippen / das sie nicht triegen / Er wende sich vom bösen / vnd thu gutes / Er suche friede / vnd jage ihm nach.

Zum vierden / Das das Gesetz ein Zuchtmeister ist in Christo / Denn das gewis war ist / wo kein zucht / Keine furcht des Gesetzes vnd der Oberkeit / Kein erkentnis der Sünden / ist / da ist auch kein erkentnis des HERRN Christi / vnd seiner wolthaten.

Diese vier vrsachen sollen alle Menschen vleißig betrachten /

Artickel etlicher  
trachten / das sie die eusserliche zucht halten / vnd teglich darinnen sich vben.

Dieweil denn nu ein Vniuersitet vnd Rat allhie in dieser Stad Wittemberg vermerckt / das solche eusserliche zucht von vielen nicht gehalten / vnd zum offtern freuentlich vnd mutwilliglichen vberreten / Dadurch denn Gottes zorn wider vns erregt / gemeiner fried versunruhet / der heilige Geist in vielen Gottfürchtigen herzen hart betrübet / Haben sich beide / Vniuersitet vnd Rat etlicher Statut vnd Ordnung / darinnen auch viel der alten Statuten begriffen / zu erhaltung eusserlicher zucht / friede vnd einigkeit / verglichen. Darüber auch durch hülffe des allmechtigen / vnd der hohen Oberkeit unsers gnedigsten Herrn / Herzogen Augusten Churfürsten zu Sachßen etc. zu halten.

**E**rstlich / Nach dem wir erfahren / das die Neuenthüren zu allerley vnzucht / vnruhe vnd vnsordnung dienen vnd gebraucht werden / Sollen dieselbigen innerhalb sechs wochen alle / auch die Thürlin in den Thorwegen / Schleifflöcher vnd Fenster / da man aus vnd ein steigen kan / abgethan werden / bey straff zehn Gülden.

Die Hausthüren sollen mit Blinden schlossen oder also verwaret werden / das bey nacht niemands sein auslauf / oder vnterschleiff haben müsse. Und im Sommer vmb zehn vhr / im Winter vmb neun schlege verschlossen werden / Und sol allein der Hausvater zu dem Hause den Schlüssel haben / vnd keinem andern vertrawet noch gegeben werden / bey straff eines Silbern Schocks.

Item / Wer Buden vermietet / sol zum Hauswirt einen ehrlichen Man setzen / die Studenten / so darinnen wonen /

## notwendiger Ordnung.

wonen/an in weisen/Derselb sol vber diesen Artikel hab-  
ten/bey straff derselben/ oder verlust seines Bürgers-  
rechts. Da auch dieselb Mietbuden mehr denn eine  
Thür hat/dadurch man ins Haus aus vnd eingehen  
kan/sollen dieselben bis auff ein Thür abgethan/oder die  
vbrigen also vermacht werden/das sich der niemand  
denn der Haussvater zugebrauchen habe/bey peen eines  
Silbern Schocks.

Nach dem auch die Studiosi solchen zwang nicht  
gern leiden/vnd sich vnterstehen die Schlosse mit bley  
zu vergießen/damit man auch zur not weder aus noch  
ein Komen kan/Wo nun ein solcher mutwilliger Freue-  
ler in der that begriffen/oder des vberwiesen/sol er vmb  
zehn Gülden/oder mit dem Gefengnis vier wochen  
lang gestrafft werden.

Da auch ein vnfug oder lermien in einem Hause sich  
zutriige/Sol der Hausswirt darumb besprochen/vnd da  
er strefflich/in straff genommen werden von seiner Ober-  
keit.

Wer vber zehn schlege im Sommer/im Winter  
vber neune/Rostgenger/Bier oder Weingesitzen hat/  
Sol ein Silbern Schock zur busse geben.

Kein Studiosus oder Famulus sol geherbergt oder  
gespeiset werden/welcher nicht intitulirt/vnd dem  
Rectori seine pflicht gethan/Denn wir gnugsam er-  
faren/ was fur freuel vnd mutwillen die treiben/ so vns-  
ter keiner Oberkeit sein wollen.

DErgleichen sollen auch keine geherberget oder ge-  
speiset werden/welche Pluderhosen/Schwert/Messer/  
Hessen/Tolchen/Bleikugeln/Wurffkreutz/Barten/Fle-  
gel/Hamer/Püchßen/oder wie die genant/vermüge vo-  
riger offt widerholeten Statuten/bey tag oder nacht  
tragen/vnd sol der/so solche wehre tregt/nach inhalt  
der

## Artikel etlicher

der vorigen Statuten auff ein Jarlang relegiert / oder nach erkenntnis in Gefengnis oder Geltstraff genomen werden / Der Wirdt aber / so solches nachhenget / vnd nicht anzeigen / sol ein Silbern Schock seiner Oberkeit verfallen sein.

Verba autem primorum statutorum Illustriss.  
Principis FR IDERICI fundatoris huius Academiae, haec sunt: Deferens arma, globos, vel alia iactilia, ad annum relegateur, & coram tali nemo leget, imo nullus aut doctor aut Magister talem scienter sustentet sub poena praestiti iuramenti. Darumb / wer ein Tolchen oder andere Wehre treget / sol dieselbe auff erfordern eius Professoris von sich geben / Und da ers nicht thun wolte / sol er ipso facto relegirt sein.

